

quæ in corporalibus invenitur, removeret. Alio modo secundum quod ulterius in ipsa spiritalia (1) defigit intuitum. In statu ergo viæ intellectus ingreditur ad spiritalia primo modo, maxime ad divina: quia in hoc perficitur cognitio humana secundum statum viæ, ut intelligamus Deum ab omnibus separatim, super omnia esse, ut dicit Dionysius in *Lib. de mystica Theologia* cap. iv. & v. Et ad hoc pervenit Moyses, qui dicitur intrasse ad caliginem, in qua Deus erat, Exod. xix. Et propter hoc etiam quantum ad statum viæ munditia ponitur in sexta beatitudine, quæ pertinet ad depurationem intellectus ab omnibus corporalibus. Sed ad secundum modum peringere non possumus in statu viæ, maxime quantum ad Deum; sed hoc erit in patria. Unde Gregorius super Ezech. (hom. xiv. paulo alia serie) *Quamvis in hac carne mortali vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso jancircumscripto luminis radio mentis oculos infigat; sed quidquid de illo modo conspicitur, non est ipse, sed sub ipso est.* Hoc tamen infirmæ mentis desiderio satisfaciunt, quia secundum quod Philosophus dicit in *xi. de animalibus* (seu de partibus anim. *Lib. I. cap. v.*) *Amans (2) in parva comprehensione amari magis delectatur quam in magna aliorum comprehensione.* Et ideo, ut ipse dicit, illud parum quod de substantiis separatim cognoscere possumus, plus desideratur, & delectatur, quam quidquid de aliis rebus cognoscimus.

Ad primum ergo dicendum, quod umbra quæ in statu viæ in intellectu nostro est, nos impedit (3) ne in divinam essentiam mentis oculos defigere valeamus.

Ad secundum dicendum, quod Dionysius loquitur quantum ad principium revelationis divinorum, in qua quasi per sermonem quemdam nobis in signis, & figuris proponuntur; sed ulterius de auditis, (4) sicut per donum intellectus, mens illustratur.

Ad tertium dicendum, quod videre Deum defigendo intuitum in essentiam ejus non possumus in statu viæ, sed alio modo, ut dictum est in corp. *11.*

Ad quartum dicendum, quod Augustinus nominat infirmitatem humanam corporalia phantasmata, quæ oportet removere per intellectum tendentes in Deum.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quætionem dicendum, quod intellectus videtur nominare simplicem apprehensionem; sed sapientia nominat quandam plenitudinem certitudinis ad judicandum de apprehensis; & ideo intellectus videtur pertinere ad viam (5) inventionis, sed sapientia ad viam iudicii. Sed quia iudicium non potest esse de apprehensis nisi per supra, quibus sapiens mente unitur, ut quasi in superiori collocatus de omnibus iudicet, quæ quidem unio ad divina per dilectionem est; ideo sapientia circa divina principaliter est, & habet circa ea delectationem ex dilectione causatam; intellectus autem est indifferenter circa omnia apprehensa spiritalia, & delectationem ex amore ad apprehensa causatam, quantum est in se, non importat.

Ad primum ergo dicendum, quod non eodem modo considerat de Deo intellectus, & sapientia; & ideo sapientia non includitur in intellectu, sed alio modo, ut dictum est in corp. *11.*

Ad secundum dicendum, quod delectatio quæ est

(1) *Al. superfluit virtutum.* (2) *Al. in prima.* (3) *In editis* ut in divinam essentiam mentis oculos defigere nequeamus. (4) *Al. sic per donum intellectus mens illustratur.* (5) *Al. intensionis.*

in actu intellectus, causatur ex congruentia operationis ad operantem; non autem ex dilectione ad ea circa quæ est operatio, sicut est in sapientia.

Ad tertium dicendum, quod in contemplatione est necessaria apprehensio quæ est per intellectum, & iudicium, quod est per sapientiam: & ideo necessaria sunt dona.

ARTICULUS III.

Utrum donum scientiæ sit tantum de humanis.

2. 2. quæst. 1x. art. 2. & 3.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod donum scientiæ non sit tantum de humanis, sed etiam de divinis. Dicit enim Augustinus in littera, quod scientia donum est, quia fides defenditur, & roboratur. Sed fides est de divinis. Ergo scientia est de divinis.

2. Præterea. Scientia donum est altior quam scientia virtus. Sed scientia virtus de divinis est, sicut Metaphysica, vel etiam Theologia. Ergo & scientia donum de divinis est.

3. Præterea. Caput est conforme membri. Sed sapientia quæ est de divinis, in Metaphysicis dicitur caput scientiarum. Ergo scientia de divinis est.

Sed contra. Per scientiam sciimus conversari in medio pravæ, & perversæ nationis, ut in littera dicitur. Sed hoc non pertinet ad divina, sed ad humana. Ergo scientia non est divinarum, sed humanorum.

Præterea. Ad idem non sunt necessarii duo habitus. Sed ad divina ordinatur sapientia. Ergo scientia non est divinarum.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod non sit tantum practica, sed etiam speculativa. Quia quanto aliqua cognitio est altior, tanto ad plura se extendit. Sed scientia donum est altior quam scientia quæ ponitur virtus intellectualis. Ergo cum scientia quæ est virtus intellectualis, se extendat ad operabilia, & speculabilia, videtur quod multo fortius scientia quæ est donum.

2. Præterea. Philosophus in principio Metaph. *Lib. I. cap. 11.* probat quod scientia speculativa est nobilior quam practica, in quantum per se speculative expetuntur, non autem practica. Sed scientia quæ est donum, debet esse altissima scientia. Ergo est magis speculativa quam practica.

3. Præterea. Scientia perficit inferiorem rationem, ut Augustinus dicit III. de Trin. cap. xv. & xv. inferior autem ratio contra superiorem dividitur. Superior autem est tam speculativa quam practica: quia, secundum Augustinum *Lib. XII. de Trin. cap. vii. & xv. inhaeret æternis conspiciendis*, quod speculationis est, & consiliandis, quod actionis est. Ergo similiter ratio inferior. Ergo sapientia, & scientia sunt speculativa, & practica.

Sed contra est quod Augustinus dicit *ibid. cap. xv.* quod actio qua bene utimur rebus temporalibus, scientiæ deputatur. Sed usus rerum temporalium ad practicam pertinet. Ergo scientia, de qua hic loquimur, est practica.

Præterea. Ab omnibus dicitur, quod scientia donum

num dirigit pietatem. Sed pietas ad activam vitam pertinet. Ergo & scientia: ergo est practica.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod in scientia humanorum non fit aliquid noxiæ curiositatis. Maxime enim cognoscere mala, malum esse videtur. Sed scientia malorum bona est; alias in Deo non esset. Ergo in scientia non potest esse aliquid noxiæ curiositatis.

2. Præterea. Quanto aliquis magis accedit ad suam perfectionem, tanto magis laudabilis est. Sed homo per scientiam cujuslibet rei perficitur, quia trahitur de potentia ad actum, cum intellectus noster sit potentia omnia intelligibilia, ut dicitur in III. de Anima text. *xiv.* Ergo in scientia non potest accidere peccatum.

3. Præterea. In medio non post accipere superfluum, sicut nullus potest esse nimis castus. Sed scientia in medio consistit, cum sit virtus intellectualis, ut in xxxiii. distinct. quæst. 1. art. 3. dictum est. Ergo non potest esse superflua in sciendo; & ita non potest esse aliqua noxiæ curiositatis.

Sed contra. Nullus punitur nisi pro peccato. Sed Hieronymus epist. xxii. ad Eustochium cap. *xiiii.* se punitur adstruit pro eo quod in libris Ciceronis studebat. Ergo potest esse in scientia humanorum peccatum.

Præterea. Expendere tempus in inutilibus, videtur non esse sine peccato. Sed quædam scientiæ videntur esse vel parum, vel nihil utiles ad bene vivendum, cui homo debet totus insistere, sicut scientiæ mathematicæ. Ergo videtur quod in eis studere sit peccatum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quætionem, quod duorum dividendum aliquid commune, illud quod aliquam excellentiam super rationem communis addit, proprium nomen ex illa differentia addita accipit. Quod autem nullam differentiam dignitatis addit, nomen commune retinet; sicut patet in proprio, & diffinitione: quia proprium essentiale dicitur *diffinitio*, proprium autem non essentiale vocatur nomine communi *proprium*. Similiter etiam est in proposito. Omnis enim certitudinalis cognitio alicujus, & præcipue si sit complexi, per rationis collationem habita, scientia dicitur. Sed illa quæ est de altissimis, quasi aliarum ordinatrix, & iudex, proprium nomen superaddit, & sapientia dicitur; aliæ vero scientiæ quæ ei subduntur, simpliciter scientiæ nomen retinent. Et hoc modo accipiendo scientiam, est tantum de rebus creatis, sapientia vero de divinis; sive loquamur in virtutibus intellectualibus, sive in donis.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam ex humanis cognitio divinarum & nutritur, & defenditur: quia *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: Rom. i. 20.

Ad secundum, & tertium patet solutio ex dictis.

SOLUTIO II.

Ad secundam quætionem dicendum, quod sicut est in sensibus corporis, quod sensus qui est ad esse, scilicet tactus, est in omnibus membris; qui autem sunt ad bene esse, sunt in corde tantum, per

quod alia membra reguntur; ita etiam est de donis gratuitis quæ in Ecclesia dantur. Quædam enim sunt de necessitate salutis; & hæc oportet quod omnibus membris Christi gratiam gratum facientem, ut virtutes, & dona. Quædam autem sunt, quæ sunt ad bene esse, sicut gratiæ gratis datæ, ut operatio miraculorum, & huiusmodi; & hæc non omnibus Christi membris dantur, sed illis tantum quibus expedit ad ædificationem fidei. Cum ergo scientia sit donum, & sic circa res creatas, oportet quod de ratione scientiæ sit tantum illa cognitio quæ est ad necessitatem salutis. Non est autem de necessitate salutis cognitio rerum quantum ad naturas, & quidditates suas, sed solum cognitio eorum quæ quis debet facere, vel vitare: & ipsa scientia contemplativa non pertinet ad rationem doni scientiæ, sed solum scientia practica, quia homo quamdam certitudinem concipit de agendis ex præsentia spiritus: & in hoc differt a prudentia, quæ non certitudinaliter, sed magis æstimate de agendis iudicium habet: unde & hoc donum a certitudine iudicii nomen habet; scientia vero quæ ad defensionem fidei ordinatur, pertinet ad gratiam gratis datam, de qua dicitur I. Corinth. *xiii. 8.* *Alii datur sermo scientiæ secundum eundem spiritum*: & non est de necessitate doni, sed de perfectione fidei. Unde dicit Augustinus in littera, quod tali scientia multi qui fidem habent, non pollent.

Ad primum igitur dicendum, quod scientia altior non oportet quod extendat se ad plura (1) nisi in illa ad quæ ordinatur; & ita scientia donum ad plura se extendit quam acquisita scientia de operibus humanis: quia in multis illa deficit in quibus ista dirigit.

Ad secundum dicendum, quod non oportet dona quantum ad omnes condiciones esse perfectiora virtutibus, sed quantum ad modum operandi, qui est supra hominem, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod non est inconveniens unam potentiam diversis habitibus perficere: unde & inferior ratio, quæ & speculativa, & practica potest esse, perficitur dono scientiæ quantum ad operabilia, scientiis vero speculativis in quantum est speculativa. Sapientia autem rationis superiorem quantum ad utrumque perficit: quia superiores rationes quibus contemplandis sapientia inheret, etiam operationum nostrarum regulæ sunt. Unde secundum quod assumit eas ut regulas operabilium, sic in proxima extenditur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quætionem dicendum, quod scire, quantum in se est, numquam malum est, & per consequens nec addiscere: quia cuius generatio est mala, ipsum est malum. Sed per accidens contingit esse peccatum in sciendo, vel addiscendo, sive considerando. Hoc autem accidens potest accidere vel ex parte cognoscibilis, vel ex parte cognoscentis. Ex parte cognoscentis est duplex accidens. Unum est quando propter occupationem in studio alicujus scientiæ impeditur ab executione officii ad quod tenetur; sicut si iudex propter studium geometriæ desisteret a causis expediendis, vel sacerdos a confessionibus audiendis, quando eas audire tenetur. Aliud est quando propter delectationem in aliqua scientia

(1) *Al. nisi illis.*

veniret in contemptum alicujus quod revereri oportet sicut de Hieronymo accidit: quia tantum delectabatur in ornatu verborum Tullii, quod desipiebat ei incultus sermo Prophetarum, ut ipse dicit. Sicut etiam accidit illis qui tantum adherent rationibus humanis quod a fide discedunt, & eam impugnant. Ex parte vero cognoscibile est triplex accidens. Unum est quando cognoscibile de facili ad malum inclinatur, & præterea in se parvæ utilitatis est & propter hoc prohibita sunt scientiæ magicæ, ne homo in exercitium earum labatur. Aliud est quando cognoscibile est supra potentiam cognoscentis, sicut dicitur Eccli. 111. 22. *Altiora te ne quæsieris*. Tertium est quando in se nullius utilitatis est, sicut facta contingit hominibus: unde & curiosi dicuntur qui sunt scrutatores conscientiarum proximi. In omnibus autem istis tribus contingit quod illud quod est tui curiosum, non est curiosum alteri: quia aliquid est supra unius intellectum quod non est supra intellectum alterius: aliquid etiam est utile uni quod non est utile alteri: aliquid etiam facile in peccatum præcipit unum quod non præcipit alium. Et per hoc patet solutio ab objecta.

ARTICULUS IV.

Utrum consilium sit donum.

1. 2. quæst. LII. art. 1. & 3.

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod consilium non sit donum. Deum enim a seipso quis habere non potest. Sed consilium cuiuslibet est a seipso: quia consilium quæstio est, ut dicitur in III. Ethic. cap. v. vel VIII. Quilibet autem quærere potest. Ergo consilium non est donum.

2. Præterea. Sicut in cognitione practica humana est inquisitio, ita & in cognitione speculativa. Sed in donis pertinentibus ad vitam contemplativam non ponitur aliquid quod inquisitionem importet. Cum ergo consilium inquisitionem importet, videtur quod consilium non debeat poni donum dirigens in vita activa.

3. Præterea. Dona se extendunt ad illa quæ sunt de necessitate salutis, sicut dictum est. Sed consilium, secundum quod communiter dicitur, dirigit in his ad quæ non omnes tenentur. Ergo consilium non est donum.

Sed contra est quod Isai. XI. inter dona computatur.

Præterea. Virtutibus respondent dona. Sed quædam virtus est ordinata ad bene consiliandum, scilicet eubulia, de qua Philosophus in VI. Ethic. cap. v. vel VIII. determinat. Ergo videtur quod debeat esse aliquod donum quod perficiat nos ad recte consiliandum.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod consilium donum non differat a dono scientiæ. Scientia enim est qua bene conversamur in medio pravæ, & perversæ nationis. Sed hoc non potest fieri sine consilio. Ergo consilium non distinguitur a scientia.

2. Præterea. In donis quæ ad executionem pertinent, idem donum responder omnibus virtutibus

(1) Septuaginta: *Laudabo nomen tuum, quoniam fecisti admirabiles res, consilium antiquum verum: Vulgata: Confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen* Iain. 11. (1)

quæ sunt circa materiam unam, sicut pietas omnibus virtutibus quæ sunt circa communicationes. Sed prudentia, & eubulia sunt circa unam materiam, quia circa actum rationis in agilibus. Cum ergo prudentiæ respondeat scientia, eubulia autem consilium, videtur quod consilium, & scientia sint unum donum.

3. Præterea. Sicut prudentiæ subservit eubulia, ita & synesis. Sed præter donum scientiæ, quod responder prudentiæ, non invenitur aliud donum quod respondeat synesi ad iudicium pertinentis. Ergo nec oportet esse aliud donum a scientia quod respondeat eubuliiæ.

Sed contra est quod Isai. XI. unum alteri connumeratur: quod non esset, si unum donum forent.

Præterea. Sicut in speculativis est via inventionis, & iudicii, ita & in practicis. Sed in donis pertinentibus ad vitam contemplativam est aliud donum quod responder inventioni, scilicet intellectus, & aliud quod responder iudicio, scilicet sapientia. Ergo & in donis dirigentibus in vita activa præter scientiam quæ responder iudicio, erit aliud donum quod pertinet ad inventionem, & hoc est consilium.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod actus consilii non erit in patria. Consilium enim, secundum Gregorium Lib. II. Moral. cap. XXVII. vel XXXVI. contra præcipationem mentem munit: & Damascenus dicit II. Lib. de Fid. cap. XXIII. quod consilium dubitantis est. Sed in patria non erit præcipitatio, neque dubitatio. Ergo neque consilium.

2. Præterea. Consilium inquisitionem, & discursum importat, ut patet per Philosophum in III. Ethic. cap. VI. Sed in patria, secundum Augustinum XV. de Trinit. cap. XVI. non erunt volubiles cogitationes, sed utemur deiformi intellectu ad similitudinem Angelorum. Ergo in patria non erit consilii actus.

3. Præterea. Eadem ratione esset ibi actus scientiæ: nec est dare in quo unus actus ab alio ibi differat, quia ibi inventio non erit. Ergo non erit ibi actus consilii.

Sed contra. Directivum nobilior est executivo. Sed in patria erit aliquis actus timoris, fortitudinis, & pietatis, quæ sunt exequentiæ in vita activa. Ergo multo fortius erit ibi actus scientiæ, & consilii, quæ sunt dirigentiæ.

Præterea. Sancti in Patria erunt Deo similes. Sed in Deo est consilium. Isai. XXV. 1. (1) *Consilium tuum verum fiat*, secundum aliam litteram. Ergo & in Sanctis erit consilii actus.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod secundum Philosophum in III. Ethic. cap. VI. consilium est quæstio de operabilibus a nobis, non tamen de omnibus. Quæ enim determinata sunt qualiter fieri debeant, sicut litterarum figuræ, in dubitationem non veniunt, neque in quæstionem; & ita de eis non est consilium. Similiter etiam cum finis sit principium movens agentem in omnibus operabilibus, non est consilium de fine, sicut nec in aliis scientiis est quæstio de principiis illius scientiæ; sed

(1) Septuaginta: *Laudabo nomen tuum, quoniam fecisti admirabiles res, consilium antiquum verum: Vulgata: Confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen* Iain. 11. (1)

de his quæ sunt ad finem, consilium est. In his autem recte consiliatur quis, si debitum finem præstituar; si media accomoda ad finem inveniat, ut non faciat mala propter bona; si tempus conveniens rebus agendis, ne per diuturnitatem consilii tempus agendi transeat: & ad hanc rectitudinem consilii perducit eubulia, ut dicit Philosophus in VI. Ethic. cap. X. Sed quia operabilia humana contingentia sunt, & possunt deficere ne ad finem intentum perducantur; ideo certitudinem consilii attingere non est humanum, sed divinum, cuius est per certitudinem eventus contingentium prævidere. Et ideo oportet quod ad hanc certitudinem mens eleveur supra humanum modum instinctu Spiritus Sancti: *qui enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt*: Rom. VIII. 14. & ideo consilium est donum.

Ad primum ergo dicendum, quod donum consilii non est ad quærendum consilium, sed ad invenendum.

Ad secundum dicendum, quod dona dirigentia in vita activa sunt circa contingentia: & ideo oportet quod sit ibi magis inquisitio quam in contemplativa vita, quæ circa æterna est.

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum in III. Ethic. ubi sup. consilium adhibetur in difficilibus, in quibus nobis non credimus: & propter hoc in arduis, ad quæ omnes non tenentur, præcipue est donum consilii, sed non tantum in illis.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod habitus dirigentes in vita activa distinguuntur quantum ad tria. Primo quantum ad modum operandi, & sic a virtutibus prudentia, & eubulia, quæ operantur humano modo distinguuntur scientia, & consilium, quæ operantur supra humanum modum, ut ex dictis patet. Alio modo quantum ad actus, sive vias, quæ exiguntur ad directionem, quæ sunt invenire, & iudicare; & sic consilium, quod consistit in inveniendo, distinguitur a scientia, quæ consistit in iudicando de inventis per consilium. Tertio modo quantum ad medium; & sic sapientia distinguitur a scientia, in quantum sapientia quandoque dirigit in agendis per rationes æternas, scientia autem per rationes inferiores.

Ad primum ergo dicendum, quod ad bene conversandum, ut dictum est, duo requiruntur: & ideo oportet esse duo dona.

Ad secundum dicendum, quod diversæ virtutes exequentes circa unum genus materiæ distinguuntur penes diversas partes materiæ, non penes actus agentis. Et ideo ab unitate actus poterit inveniri unus modus altior, qui compeit uni dono. Sed virtutes dirigentes pertinent ad diversos actus ex parte agentis: & ideo requiruntur diversi modi, & diversa dona elevantia ad modos digniores.

Ad tertium dicendum, quod iudicium, quod est synesis, & præcipere applicanda ad opus, quod est prudentiæ, totum pertinet ad unam viam, scilicet iudicativam: & ideo eis non responder nisi unum donum. Sed eubuliiæ quæ pertinet ad aliam viam, responder aliud donum.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod, sicut dictum est de donis exequentibus in vita activa, quod remanebunt eorum actus circa mensuram, ex qua erat modus supra hominem in eorum actibus, non autem circa propriam materiam: quia fortitudo nullam difficultatem sustinebit, ut dictum est: ita in scientia, & consilio: quia in patria non remanebunt eorum actus, nec contingentia operabilia dubia, in quibus nunc iudicant, & inveniunt: unde non oportet quod sit ibi dubitatio. (2) neque etiam discursus. Sed remanebunt in hoc quod convertent se ad illum a quo erat certitudo in eorum iudicio, & inventionem supra humanum modum: & erit actus scientiæ circa ipsum, secundum quod est regula ad iudicandum; actus vero consilii erit circa ipsum, secundum quod est illuminans ad invenendum.

Et secundum hoc patet solutio ad objecta.

EXPOSITIO TEXTUS.

QUO fides saluberrima gignitur. Hoc intelligendum est quantum ad distinctionem articulo- rum, sive quantum ad exhortationem ad fidem, secundum quod fides ex auditu est; non quantum ad habitum fidei, qui est ex infusione. *Abstinere vero a malis est in medio pravæ nationis prudenter versari*. Hoc est timoris sicut exequentis; scientiæ sicut dirigentis.

Quæ naturaliter sunt in natura hominis, quantum ad seminaria scientiæ, non autem quantum ad habitum completum. Intellectus autem similiter a natura est.

DISTINCTIO XXXVI.

De connexione virtutum quæ non separantur.

SOlet etiam quæri, utrum virtutes ita sint sibi conjunctæ, ut separatim non possint possideri ab aliquo, sed qui unam habet, omnes habeat. De hoc Hieronymus ait in Isai. LVI. „Omnes virtutes sibi herent, ut qui una caruerit, omnibus careat. Qui ergo unam habet, omnes habet.“ Quod quidem probabile est. Cum enim charitas mater sit omnium virtutum, in quocumque mater ipsa est, scilicet charitas, & cuncti filii ejus, idest virtutes, recte fore creduntur. Unde Augustinus in Joan. tract. LXXXIII. & epist. XXIX. „Ubi charitas est, quid est quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? Cur enim non dicimus: qui hanc virtutem habet, habere omnes, cum plenitudo legis sit, charitas? quæ quanto magis est in homine, tanto magis est virtute præditus; quanto vero minus, tanto minus inest virtus; & quanto minus inest virtus, tanto magis inest vitium.“

(2) Al. Neque etiam discursus remanebunt.